



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XXIII. Pabst Bonifaz befreiet die Stadt Perleberg von der Belegung mit dem Interdict wegen unverschuldeten Aufenthalts Excommunicirter innerhalb ihres Gebiets, im Jahr 1303.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54314)

XXI. Bischof Johann von Havelberg beurkundet, seinen zu Magdeburg gelegenen Hof an den Abt und das Kloster Riddagshausen verkauft zu haben, im Jahre 1301.

Nos Joannes, Dei gratia Havelbergensis ecclesie Episcopus, recognoscimus et presentibus publice protestamur, quod nos curiam nostram, quam in Magdeburg habuimus et aliquandiu possedimus prope et infra muros Magdeburgenses ex opposito fratrum Predicatorum et in (qua) siquidem curia Capella sancti Egidii sita est, quam etiam curiam de propria nostra comparavimus pecunia, religiosi viri domino Ottoni Abbati, totique conventui in Riddershusen, Cisterciensis ordinis, Halberstadenensis dioecesis, cum omni jure, quod nos in eadem curia habuimus, pro octuaginta marcis Stendaliensis argenti vendidimus et tradidimus; renunciantes exceptioni pedicte precunie nobis non solute et non tradite, sed recognoscentes, quod jam dicta pecunia tanquam pretium pretacte curie nobis integraliter sit persoluta. Renunciantes etiam omni actioni ac omni impetitioni, que nobis ac cuicumque successori nostro ad curiam posset competere predictam. In ejus evidentiam rei presens scriptum nostri sigilli munimine duximus roborandum. Testes sunt venerabilis in Christo pater et dominus Vulradus Brandenburgensis ecclesie Episcopus, honorabiles viri et domini Bernardus prepositus, Godefridus Decanus ecclesie Magdeburgensis, Gevehardus de Lindowe, Canonici pretacte Magdeburgensis ecclesie, Henricus de Hornhusen, Fefeko, de Calue laici et quam plures alii fide digni. Actum et datum Magdeburg, Anno domini MCCC^o. primo, in inventione sancte crucis.

Nach Lenz, Magdeburgisch. Stiftshistorie Anh. S. 514.

XXII. Schöppen und Rathsherrn zu Prizwalch beurkunden eine von Otto von Puelvic in Ansehung des Ruthenzinses vorgenommene Schenkung, im Jahre 1303.

Nos scabini et Consules prifwalch notum esse volumus tam presentibus quam futuris et protestamur, quod Magister Otto de puelvic de censu arearum, quem habebat in prifwalch, dedit domui sancti spiritus ibidem Duo talenta, Ita ut quinque solidis in Natiuitate Christi et quinque in pascha et quinque in pentecoste, In festis vero quatuor beate virginis singulis quatuor solidis, In festo omnium sanctorum Tribus solidis, Martini tribus, Nicolai tribus, Infirmi predictae domus ac debiles cibis et potibus recreentur. Residuum vero quicquid fuerit de hiis duobus Talentis et vno Talento, quod percipiet Ecclesia in brunne de predicto censu Arearum, ante Ciuitatem prifwalch pauperibus et infectis Domus dabitur leproforum. Hee autem ne robore careant, appensu sigilli nostri et munimine approbamus. Datum prifwalch, anno Domini M^o. CCC^o. III^o. in Dominica qua cantatur Exurge.

Nach dem Original des Prizwalcher Rathsarchives. Bei Beckmann, Th. V., Bd. II., Kap. III., Sp. 119 mit einer den Sinn entstellenden Ausfassung und mehreren Fehlern abgedruckt.

XXIII. Papst Bonifaz befreiet die Stadt Perleberg von der Belegung mit dem Interdict wegen unverschuldeten Aufenthalts Excommunicirter innerhalb ihres Gebiets, im Jahre 1303.

Bonifacius, Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam. Honesta et humilia supplicum vota, illa praesertim, que divini cultus augmentum et animarum salutem concer-

hant, quantum possumus favoribus prosequimur opportunis. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Rectoris parochialis Ecclesie, Sculteti, Scabinorum, Proconsulum, Consulium et universitatis oppidi Perleberghæ, Havelbergenfis diocesis, nobis nuper exhibita, continebat, quod sepe contingit, dictum oppidum ecclesiastico subijci interdicto eo, quod a nonnullis iudicibus, tam a sede apostolica vel ejus legatis seu delegatis deputatis, aut eorum subdelegatis sive Commissariis, diversis fungentibus auctoritatibus, quam etiam ab ordinariis Civitatis Havelbergenfis et dicte diocesis et aliorum locorum, tam in personas extraneas accedentes ad dictum oppidum et ad illud declinantes causa ibidem comedendi vel bibendi seu etiam pernoctandi aut alia negotia pertractandi, quam etiam incolas et habitatores ipsius oppidi et alias inibi lares suos foventes vel alia bona immobilia habentes ibidem excommunicationis seu interdicti sentencie fulminate existunt, vel etiam est eisdem ingressus Ecclesie interdictus, et quandoque predicti iudices mandant in eorum processibus vel interdum vigore provincialium aut synodaliū constitutionum prohibetur, ne in dicto oppido etiam post recessum talium personarum excommunicatarum vel quibus est, ut presertur, ingressus Ecclesie interdictus, per dies et interdum per menses aliquot divina officia celebrentur, absque culpa predictorum Rectoris, Sculteti, Scabinorum, Proconsulum, Consulium et universitatis, propter que divinus cultus minuitur et exinde diversa animarum pericula subsequuntur ac populi devotio retardatur atque languescit. Quare pro parte dictorum Rectoris, Sculteti, Scabinorum, Proconsulum, Consulium et universitatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hec de opportuno remedio paterna diligentia curarem. Nos igitur, qui divinum cultum angere christianique populi devotionem conservari ac animarum periculo obviare intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati prefatis Rectori, Sculteto, Scabinis, Proconsulibus, Consulibus et universitati ut postquam hujusmodi persone, quacumque etiam auctoritate excommunicate et quibus est ut presertur ingressus Ecclesie interdictus, si que ad prefatum oppidum accesserint et ibidem comedendo vel bibendo ac etiam pernoctando seu alia negotia pertractando moram traxerint, etiam si in eodem oppido lares suos foverint vel ibidem aliqua bona immobilia obtinuerint, per Rectorem, Scultetum, Scabinos, Proconsules, Consules, Universitatem predictos realiter de dicto oppido expulse fuerint vel persone ipse inde sponte secesserint, Rector dicte ecclesie, qui pro tempore fuerit, in dicta Ecclesia celebrare ac in eodem oppido in ipsorum Rectoris, Sculteti, Scabinorum, Proconsulum, Consulium et Universitatis presentia, divina officia, excommunicatis et interdictis exclusis, celebrare libere possit, dum tamen oppidum ipsum specialiter non fuerit ecclesiastico suppositum interdicto, nec id Rectori, Sculteto, Scabinis, Proconsulibus, Consulibus et Universitati prefatis conjunctim vel divisim contigerit specialiter interdicti, tenore presentium de speciali gratia indulgemus, apostolicis nec non hujusmodi Provincialibus et Synodalibus Constitutionibus et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum, XII. Calendas septembris, Pontificatus nostri anno nono. N. de Rugis Sabaudus et L. de Bononia. Inscriptio pro N. de Piperno. N. de Fregona.

Nach einer Copie von Desrichs Handschrift.

XXIV. Markgraf Hermann verspricht der Stadt Perleberg zum Nachtheil keine Mühle zu erbauen, im Jahre 1307.

Nos hermannus, dei gratia Marchio Brandenburgensis et Iusatie et dominus de Hinnenbergk, Tenore presentium publice uniuersis ac singulis profiteamur recognoscentes, quod